

ni hoste tutandam suasionibus, adhortationibus incitare. Erant intra Leucosiae mœnia mille ac trecenti Itali pedites; ordinum tria millia; incolarum duo, quibus ære publico stipendia persol- vebantur: sexcenti hastis, ac fistulis ferreis absque gladiis arma- ti; ab Cypria nobilitate ex domesticis servis proprio ære ad- scripti mille; Epirotarum equites quingenti, pedites ducenti; tormentorum magistri e Cypro ducenti, ex Italia ducenti ac sexaginta; agrestium hominum octo, fossorum quatuor millia; reliqua iners, atque inutilis turba, ut eorum, qui Leucosia continebantur, numerus quinquaginta millium summam confi- ceret; qui impares licet ad hostes repellendos, atque ad ur- bem diutius tutandam censerentur, Italico præsertim peditatu, in quo summa belli sita erat, imminuto, ac prope exhausto; attamen imperatoris virtute errata hominum, ac fortunæ aliqua ex parte corrigi potuissent, si eum virum nacta Cyprus esset, qui prudentia, consilio, fortitudine periclitanti egregiam opem tu- lisset. Verum, Laurentio Bembo, legato, defuncto, Nicolaus Dandulus successerat, cujus ad tantum onus sustinendum ne- que par animus, neque virtus erat; inani quadam prudentiæ, atque indefessi roboris opinione ad eam dignitatem sublatus, ceterum obtuso ingenio, nullo fere rerum usu ad magna obe- unda munera assuetus, in quo optima sæpe consilia iracun- dia, familiari ejus vitio, pervertebantur. Is igitur appulsi Turcicæ classis percussus, neque expediti quidpiam consilii ca- pere, neque ubi opus erat suppetias ferre, neque quidquam, ut in summis periculis constitutos cordatos viros decet, pruden- ter administrare noverat: nondum ex fossis, uti oportuerat, egesta humus; nondum militibus impertita tuenda urbis mu- nia; nondum incolarum copiæ evocatae; civitas commeatu pa- rum instructa. Cum igitur tot incommodis extemplo obviam eundum esset, publico edicto cautum, ut quæ quisque in agris frumenta caperet, in urbes convehendo sua efficeret; at illo- rum magna pars in pagis agrisque relicta, hostibus præda fuit. Copiarum delectus magna cum celeritate habitus, qui prius ex legionariis dimissi fuerant, regredi jussi.

Dum hæc a nostris geruntur, atque de urbe defendenda, de hostium conatibus impediendis consulitur, Turcæ, proprius ad- moto exercitu, tentoria explicant, tormenta disponunt, castra,

Nicolaus  
Dandulus  
summus in  
Cypro pra-  
fectus, &  
ejus de-  
dia.